

7.
DISSERTATIO ACADEMICA,
OBSERVATIONES QUASDAM
HISTORIAM NOTONECTIDUM, IMPRIMIS
FENNICARUM, ILLUSTRANTES
PROPOSITURA,

QUAM

CONSENSU AMPLISS. FACULT. PHILOS. ABOËNS.

PRÆSIDE

CAROLO REGINALDO SAHLBERG,
Phil. & Med. Doct. Oecon. & Hist. Natur. Profess. Publ. &
Ord. Collegii Imp. Med. Assess. Soc. Imp. Nat. Studios.
Moscov. & Soc. Imp. Oecon. Fenn. Membro,

PRO LAUREA

PUBLICÆ BONORUM CENSURÆ MODESTE SUBMITTIT

LAURENTIUS HOMÉN,
Stipend. Publ. Satacund.

In Auditorio Med. die 26 Junii 1819.

h. a. m. c.

ABOË, Typis FRENCKELLIORUM.

DISSEPTATIE ACADEMICA

OBSEKVAZIONI QUASDAM

HISTORIAM NOTIONUM IMPRIMI

PHENOMENONUM, QUAE

THEORETICAE

QUAE

CONFERRE ANTIQVVS. FACIENS. PAVLOS. ABOGVS.

PRÆSIDI

CAROLO REGINALDO SAHLBERG

Phil. & Med. Doct. Ordin. & hinc. Natur. Philos. Profess. Publ. &
Ord. Collegii hinc. hinc. hinc. hinc. hinc. hinc. hinc. hinc. hinc. hinc.
Mons. & Soc. hinc. hinc. hinc. hinc. hinc. hinc. hinc. hinc. hinc. hinc.

PRO LAURIA

RECTORI BONONIENSIS ACADEMIAE SUBMITTIT

LAURENTIUS HOMERUS

2. hinc. hinc. hinc. hinc. hinc. hinc. hinc. hinc. hinc. hinc.

In Auditorio Med. die 26 Junii 1819

h. a. m. c.

A. B. O. T. Typis. hinc. hinc. hinc. hinc. hinc. hinc. hinc. hinc. hinc. hinc.



Numerus Insectorum, ad nostra usque tempora, in omnibus fere terrarum regionibus, industria Entomologorum summa atque fatigari nescia collectorum descriptorumque, licet adeo jam sit auctus, ut, quot suo ævo cognoverat eorum species, inclutissimus Entomologiæ non minus, quam totius Zoologiæ systematicæ parens, CAROLUS A LINNÉ, tot fere genera constituere necesse habuerint Entomologi recentiores; omnia tamen horum animalculorum latibula, nequaquam adeo esse pervestigata, ut nulla restet novarum specierum detegendarum spes, quisque facile concedet Scientiæ Entomologicæ peritus. Abundant ullo sine dubio, alias ut taceamus regiones, nondum vel saltem parum perlustratas, vastissimæ, Fenniæ quoque nostræ, sylvæ frequentesque aquæ, ingenti insectorum copia, quæ Entomologorum, quantumvis acutissimorum, oculis hucusque subduxit alma & ubique productrix natura. Quicumque igitur Fennicam amaverit Faunam, is omni in id incumbere debet studio, ut non solum Insecta Patriæ diligenter investiget oculisque perlustret, verum etiam, quæ ad Scientiam Entomologicam in universum collustrandam conducere intellexerit, sedulo adnotet. — Hæc omnia perpendentibus, symbolamque, perexiguam licet, Faunæ Fennicæ dare gestientibus, non plane inutile nobis visum

2
est, Observationes quasdam, Historiam Notonectidum, imprimis Fennicarum, illustrantes, speciminis academici loco proponere: quas harum rerum cupidis non omnino fore displicituras speramus.

Hemipterorum, quæ sub aquis vitam degunt, duo Genera posuerunt A LINNÉ & qui illum præcesserunt Entomologi; alterum *Nepam* seu *Scorpionem aquaticum*, alterum *Notonectam* appellarunt. Quorum pedes anteriores, (antennæ a) primum habiti) cheliformes, reliqui quatuor ambulatorii sunt, ad illam relata fuerunt, a recentissimis in sex jam divisam genera diversa: *Ochterum* scilicet, *Galgulum*, *Belostoma*, *Nauroidem*, *Nepam* & *Ranatram* b). Huic vero sive *Notonectæ* generi, quod dissertationi præsentī materiam suppeditabit, illa subjunxit Hemiptera laudatus A LINNÉ, quæ rostro instructa sunt inflexo, alis quatuor cruciatio-complicatis, antice coriaceis, antennis thorace brevioribus, pedibusque posterioribus pilosis, natatoriis c). Tres autem inter species, Svecici originis omnes, quæ in scriptis Linneanis enumerantur, *glauca* puta, *striatam* & *minutissimam*, tantam observavit Clarissimus Insectorum scrutator G. OFFROY structuræ corporis differentiam, ut *striatam* a cæteris *Notonectis*, tarsis biarticulatis scutelloque præditis, sejungere, atque eandem, ut novum genus, *Corixæ* nomine insignitum, & pedibus anticis forcipis formam referentibus, tarsis uni-articulatis scutelloque nullo distinguendum, proponere necessarium duceret. Disjunctionem vero hancce generis a se definiti, Nobilissimo a Linné non arrisisse, vel inde satis patet, quod in editione Systematis Naturæ ultima, speciem nuper laudatam

No.

a) Linn. Syft. Nat. Ed. VI. pag. 60.

b) Vid. Latr. Gen. Cruftac. & Insect. Tom. III. p. 142 sqq.

c) Vid. Linn. Syft. Nat. ed. XII. pag. 712.

Notonecta tenaciter subjunxerit, & nomen Geoffroyanum, ut Synonymon tantum apposuerit, pedum dissimilitudinem silentio omnino prætervectus, thoracisque præsentiam vel absentiam. Convenerat tamen facile cæteros inter Entomologos, Illustrissimum DE GEER, omnia hæc Hemiptera aquatica, *Punaises-d'eau*, sub uno eodemque *Nepæ* genere conjungenda esse urgentem d), si exceperis, *Notonectam* in duo genera esse jungendam, quamvis nomen *Corixa*, a GEOFFROY datum, non ab omnibus fuit receptum. Clarissimus nempe laudatissimi Systematis Entomologici auctor, F. C. FABRICIUS, duo licet *Notonectidum* agnoscens genera, cum novis eadem definirer characteribus, ex partibus oris depromtis, novam quoque, rejecto, nescio quo jure, nomine Geoffroyano, ab OLIVIERO aliisque retento, generi jam antea notissimo imposuit *Sigara* denominationem e), quam deinde adoptarunt SCHRANK, SCHELLENBERG cæteros ut taceamus. Verum enim vero si ex mutato sic nomine generico, cognitioni horum generum parum & forte nihil lucis affluxisse, jure dixeris, maximum certe iisdem ditandis & amplificandis fecisse agnosces momentum, multas valde, nondum detectas, tam *Notonecta* quam *Sigara* species, quas undiquaque collectas, in variis a se editis scriptis Entomologicis primus descripsit laudatus FABRICIUS. Tribus etenim, quas jam monuimus, vel potius quatuor (nam *Notonecta minutissima* GEOFFROYI & OLIVIERI aliud omnino est Insectum, ac quod hoc nomine descripsit a LINNÉ) *Notonectidum* species, huc usque cognitis, tredecim addidit novas, *Notonecta* generi octo subjunctas: *Americanam* f) scilicet, *niveam* g), *fur-*

A 2

catam

d) Vid. De Geer Mem. pour l'Hist. des Insect. Tom. III. p. 356 sqq.

e) Fabr. Syst. Entomol. p. 691.

f) Fabr. Syst. Entom. p. 690 n. 2.

g) Id. Lib. I. c. n. 3.

4
catam h), maculatam i), ciliatam k), marmoream l), indicam m)
& pallipedem n), *Sigara* vero quinque: *coleoptratam* o) puta,
lineatam p), *minutam* q), *nigripennem* r) & *hyalipennem* s).

Quantum Scientiæ Entomologicæ illustrandæ in universum
attulerunt adjumenti, qui Insecta certæ cujusdam regionis seor-
sim describere, vel Monographias unius alteriusve Ordinis aut
generis edere aggressi sunt, tantum profecto lucis in Historiam
Notonectidum sparserunt, qui in illis investigandis curam ad-
hibuerunt specialem. *Hydrocorisas* communi nomine appella-
runt inclyti Gallorum Entomologi, LATREILLE & OLIVIERUS,
Insecta, quæ Generibus *Nepæ* & *Notonectæ* annumeravit Nobi-
liss. a LINNÉ. Cum vero, cæteras inter descriptiones Insectorum
Svecicorum monographicas, quas edidit Celeb. FALLÉN, Profes-
sor Lundensis, eximias æque ac multas, hujus quoque Tribus
Monographiam, in Dissertatione, cui inscripsit: *Hydrocorides*
& *Naucorides Sveciæ*, & quæ anno 1814 prodiit, proponeret,
in

h) Entom. Syst. Tom. IV. p. 58 n. 2.

i) Id. Lib. p. 58 n. 3.

k) Entom. Syst. Suppl. 522. 3.

l) Syst. Rhyng. p. 103 n. 3.

m) Id. Lib. l. c. n. 7.

n) Id. Lib. l. c. n. 9.

o) Mantiss. ad Gen. Insect. p. 298.

p) Mantiss. Insect. Tom. II, p. 276 n. I.

q) Entom. Syst. Tom. IV p. 60 n. 4.

r) Syst. Rhyng. I. 105 n. 3.

s) Id. Lib. l. c. n. 5.

in duas eandem, secundum diversam membranæ hemelytrorum structuram, inæqualemque articularum tarsorum numerum, divisit Familias, quarum *Hydrocorides* Genera *Ranatra* & *Nepa*, *Naucorides* vero *Naucoridem*, *Notonectam* & *Sigaram* FABR. complectuntur. Quæ, sub nomine *striatæ*, confusæ antea erant *Sigare* species, duas jam proposuit, diversas, *striatam* nimirum & *undulatam*, Faunæque Svecicæ insuper vindicavit *Notonectam furcatam* FABR., *Notonectam luteam*, a MÜLLERO in *Podromo Zoologiæ Danicæ* descriptam, & *Sigaram coleopratam*.

Maxime laudandam denique in Hemipteris nostris examinandis & ordinandis operam curamque posuit laudatissimus Angliæ Entomologus W. E. LEACH. Sejuncta jam antea, in *Edinburgh Encyclopedia*, ab *Hydrocorisis* LATR. Tribu, Linneanum *Notonectæ* genus comprehendente, novoque *Notonectidum*, nomine, quod etiam nos assumimus, eidem imposito, novam quoque laudatæ Familæ in *Transactionibus Societatis Linneanæ Londinensis* pro anno 1817 proposuit dispositionem, Cæteras inter Species, in Anglia collectas, quas insimul enumeravit & descripsit, novæ sunt & nondum cognitæ: *Corixa stagnalis*, *Fossarum*, *lateralis*, *dorsalis* & *affinis*. Synopticam vero totius Tribus dispositionem, qualem eandem ipse dedit LEACHE, hic inferre, a re nostra haud alienum putavimus.

Tribus NOTONECTIDES t).

Pedes duo postici longiores, natatorii

Fam. 1.

Corpus cylindrico-ovatum, aut ovato-quadratum. *Tarsi* omnes biarticulati. (*Scutellum magnum*).

Gen. 1.

1) Conf. Transact. of the Linn. Soc. Vol. XII, P. I, p. II.

Gen. 1. NOTONECTA.

Corpus cylindrico-ovatum. *Antennæ* articulo tertio secundo tenuiore. *Tarsi* antichi articulo primo longiore. *Ungues* postici minutissimi.

Gen. 2. PLEA.

Corpus ovato-quadratum. *Antennæ* articulo tertio aliis majore. *Tarsi* antichi articulis subæque longis. *Ungues* postici magni.

Fam. II.

Corpus depresso-cylindricum. *Tarsi* antichi uni-articulati; quatuor postici bi-articulati (*Elytra* margine antico ad basin saltem canaliculato).

Gen. 3. SIGARA.

Scutellum distinctum. *Thorax* transversus, linearis. *Corpus* ovatum, postice acuminatum.

Gen. 4. CORIXA.

Scutellum nullum. *Thorax* transversus, postice productus. *Corpus* lineare, antice & postice rotundatum.

His jam de Notonectidibus in genere relatis, restat ut earum species, in Fennia hucusque inventas enumeremus. Quod vero jam facturis, methodum Cel. LEACH nuper recensitam sequi nobis placet.

NOTONECTA,

Corpus cylindrico-ovatum. Caput obtusum. Antennæ articulo tertio secundo tenuiore. Tarsi antichi articulo primo longiore. Ungues postici minutissimi.

1. *N. glauca*: hemelytris griseo-lutescentibus, margine fusco-punctatis, dorso nigro apice pallido.

Leach in Transact. Soc. Linn. Vol. XII p. 13 n. 1. — Fall. Hydr. & Nauc. Sv. 5 1. — Fabr. Rhyn. 102. 1. — Linn. Syft. Nat. 2. 712 1. — Faun. Sv. 903. — Geoffr. Ins. 1. 476. 1. Tab. 9. f. 6. — Schellenb. Cim. Helv. Tab. 10. — Stoll. Cimic. 2 Tab. 12 f. 9. 10. Panz. Fn. Germ. 3. Tab. 20.

Nepa (Notonecta) De Geer Ins. 3. 382 5. Tab. 18. f. 16. 17.

Var. b. Hemelytris subferrugineis, fusco-subirroratis.

Leach. l. c. var. β .

Habitat in aquis stagnantibus ubique frequens.

Caput rotundato-obtusum, verticale, postice pro receptione thoracis concavum, glabrum, nitidum, albido-flavescens; oculi oblongi, glauci, nigro maculati.

Thorax transversus, antice parum angustior, flavescens-albidus, pellucidus.

Scutellum, maximum sub thoracæ ad dimidiam fere partem absconditum, holosericeo-atrum, triangulare.

Hemelytra grisea, plus minus flavescens, brevissime pubescentia, punctis ad costam parum elevatam plurimis fusco-nigris & macula in cruce usca notata; membrana magis nitida, apice hyalina, emarginata.

Alæ albo-hyalinæ.

Ab-

Abdomen supra convexum, dorso nigrum, versus apicem pallido flavescens, subtus nigrum, carinatum, glabrum, lateribus & carina longe ciliatis.

Pedes pallidi, natatorii, antici breviores, intermedii longiores, postici longissimi, Femora præsertim postica spinuloso-serrata; tibiæ tarsique, postici imprimis, intus ciliata.

Longitudo 5 — 6 linearum.

SIGARA.

Scutellum distinctum. Thorax transversus, postice parum productus. Corpus ovatum postice acuminatum.

1. *S. minutissima*: hemelytris cinereis fusco-maculatis, corpore subtus pedibusque flavescentibus.

Leach in Transact. Soc. Linn. Vol. XII. P. I. p. 14. I. — Linn. Syst. Nat. 2. 713. 3. — Faun. Sv. 244. 905. u)

Habitat in Finlandia rarissimus? v)

Caput antice rotundato-obtusum, nitidum flavescens, linea media longitudinali fusco-brunnea; Oculi nigri.

Thorax lineari-trigonus, lævis, griseo-lutescens.

Scutellum triangulare, læve, griseo-lutescens.

Hel

u) *Sigara minutissima* GEOFFROYI, OLIVIERI, FABRICII, LATREILLE, Plea est *minutissima* Leachii. Character specificus a FALLÉN datus, ad Pleam quoque pertinet, quamvis Linneanam nostræ Sigaræ apposuit descriptionem.

v) An Fennici sit originis, vel in Svecia tantum inventum hocce Insectum, pro certo statuere non possumus, quamvis in collectione, in Fennia olim facta, idem semel vidimus.

Hemelytra linearia, lævia, cinereā maculis quibusdam fuscis, maculaque ad scutellum flavescenti; membrana cinerea.

Alæ albo-hyalinæ.

Abdomen supra planum, griseo flavescens, margine & apice pallidiori, subtus convexum nitidum flavescens.

Pedes flavescens, antici brevissimi, posteriores elongati.

Longitudo 1 Lineæ.

CORIXA.

Scutellum nullum. Thorax transversus, postice productus. Corpus lineare, antice et postice rotundatum.

Sect. 1. Thorace elytris que rugulosis.

1. *C. striata*: supra fusca, thorace lineolis transversis numerosis flavicantibus, hemelytris lineolis undulatis transversis flavo-hyalinis, sulco laterali fuscescente.

Leach in Transact. Soc. Linn. Vol. XII. P. I. p. 16. 2.

Sigara undulata. Fall. Hydr. & Nauc. 7. 2.

Nepa (striata). De Geer 3. 389. 6 Tab. 20 f. 1.

Notonecta striata, Linn. Syst. Nat. 2. 712. 2. Fn. Sv. 244. 904.

Var. b. Pallidior minor, sulco laterali albido.

Habitat in aquis stagnantibus, frequentissimus.

Caput verticale, antice obtusum postice pro receptione thoracis concavum, lævissimum, punctulis inter oculos sparsis impressis, subtus pilis rarioribus obsitum, flavescenti-albidum, macula longitudinali fuscescente; oculi magni triangulares fuscii.

Thorax convexus, subtrigonus, postice in angulum obtusum productus, subtiliter rugulosus, fuscus, lineolis 8-9 transversis flavis, intermediis quibusdam interdum bifidis.

Hemelytra subtilissime rugulosa, fusca, lineolis transversis undulatis plus minus abbreviatis flavido-hyalinis; sulcus in margine exteriori excavatus fuscescens vel albidus, lineola obliqua tenuissime elevata interruptus; membrana fusca maculis flexuosis flavis crebre irrorata.

Abdomen supra fuscum, lateribus & apice flavescens, subtus flavescens vel fusco-maculatum.

Alæ albo-hyalinæ.

Pedes flavi; antici breves validi, tibiis brevissimis, tarsis longe ciliatis compressis; femora intermedia elongata tenuiora, tibiis tarsisque extus ciliatis intus subspinulosis; femora postica crassa; tibiæ femorum longitudine, intus ciliatæ, tarsi elongati, compressi, dilatati utrinque ciliati.

Longitudo 3 linearum circiter.

2. *C. Fossarum*: supra fusca, thorace lineis sex transversis integris flavis, elytris fuscis flavido-irroratis.

Leach in Transact. Soc. Linn. Vol. XII. P. I. p. 17. 4.

Habitat in aquis stagnantibus cum præcedente, minus frequens.

Caput albidum, structura præcedentis; oculi magni triangulares nigro-fusci.

Thorax subtilissime rugulosus, fuscus, lineolis transversalibus sex indivisis flavidis, tuberculo elevato antico minuto.

Hemelytra subtilissime rugulosa, fusca, antice lineolis 4 — 6 transversalibus uno alterove interdum bifurcato, postice maculis irregulariter undulatis flavescens; membrana parti hemelytrorum posticæ concolore; sulcus lateralis albidus aut fuscescens.

Alæ albido-hyalinæ.

Abdomen supra fuscum, margine flavescente, subtus fuscescens postice flavum.

Pedes flavescentes, longitudine & structura ut in præcedente.

Longitudo 2 lineas parum excedit.

3. *C. Hellenii*: supra nigra, thorace lineolis, dorsali unica longitudinali, quatuorque transversalibus extrorsum evanescentibus, flavis, elytris flavo-irroratis, nervis omnibus læte flavis.

Habitat in rivulo ad Prædium Præsidis, Yläne Nygård, in Parœcia Pöytis.

Caput flavescens, structura omnino præcedentium, sed margo posterior magis quam in cæteris elevato-acuminatus; oculi magni triangulares nigri.

Thorax subtilissime rugulosus, niger, linea media longitudinali flava, ex qua exeunt utrinque lineolæ, plerumque quatuor, transversales flavæ, extrorsum evanescentes.

Hemelytra subtilissime rugulosa nigra, nervis omnibus læte flavis, unde quasi cruce flava notata apparent, pars interior antice lineolis 2 — 4 integris, cæteris interne abbreviatis flavis, pars exterior lineolis transversalibus interruptis flavidis; sulco laterali fuscescenti; membrana nigra, maculis flexuosis flavis irrorata.

Alæ albo-hyalinæ.

Abdomen flavescens, supra nigrum margine flavo.

Pedes flavescentes, structura præcedentium.

Longitudine vix 2 linearum.

Viro Nobilissimo atque Celeberrimo D. CAROLO NICOLAO VON HELLENS, Professori Emerito, Summo Historiæ Naturalis

ralis Fennicæ Patrono, eximio Serropalpi Descriptori, hanc speciem sacratam voluimus.

4. *C. carinata*: subtus flavescens, thorace punctato-ruguloso, fusco lineis numerosis transversis flavo ferrugineis, carina elevata longitudinali, elytris lævioribus fuscis, maculis undulatis flavo-ferrugineis.

Ad Yläne Nygård semel tantum captus.

Caput ut in prioribus, flavescens, supra flavo ferrugineum.

Thorax subtilissime punctato-rugulosus, carina media longitudinali acute elevata, nudis oculis bene conspicua, fuscus lineolis 10 flavo-ferrugineis, quibusdam in medio divisis.

Hemelytra læviuscula vix rugulosa, pilis decumbentibus raris obsita, fusca, maculis crebris flexuosis æqualiter fere sparsis flavo-ferrugineis; sulco marginali flavo ferrugineo; membrana hemelytris concolore.

Alæ albo-hyalinæ.

Abdomen supra fuscum, margine ferrugineo, subtus flavescens.

Pedes flavescentes, structura præcedentium.

Corixa striata paullo major.

Sect. 2. Thorace elytrisque lævissimis.

Subdivisio 1. Capite antice obtuso, rotundato.

5. *C. Geoffroyi*: subtus flavescens, thorace fusco lineolis numerosissimis flexuosis transversalibus flavidis, hemelytris maculis crebris hyalino-flavicantibus.

Leach in Transact. Soc. Linn. Vol. XII. P. I. p. 17. 7.

La Corise Geoff. Hist. Nat. des Ins. 478. 1. 9. f. 7.

Sigara striata, Fabr. Hydr. & Nauc. Sv. p. 6. — Fabr. Syst. Rhyng. 104. 4.

Habitat ad Yläne Nygård, rarissimus.

Caput obtusum flavescens, structura C. striatæ; oculi magni triangulares, nigro fuscii.

Thorax glaberrimus, lævissimus, carinula media antice elevata obsoletissima, fuscus, lineolis angustis, transversis, flexuosis, crebre positis, plus minus anastomosantibus, 18 circiter flavis.

Hemelytra lævia nitida, pilis rarioribus depressis obsita, fusca, maculis crebris irregularibus flexuosis, ad basin majoribus densioribusque hyalino-flavis; sulcus lateralis albidus; membrana elytris concolore.

Alæ albæ, hyalinæ.

Abdomen supra fuscum, margine flavo nigro-maculato, subtus flavescens, interdum fusco-maculatum.

Pedes flavescentes, structura eadem ac in cæteris.

Notonecta glauca paullo minor.

Subdivisio 2. Capite antice in marginem acutum attenuato.

6. *C. Bonsdorffii*: virescenti flava, capite magno, thorace nigro, lævissimo, carinula longitudinali utrinque abbreviata, elytris lævissimis nigris flavo-irroratis.

Var. b. Thorace rufo-griseo.

Habitat ad Yläne Nygård.

Caput magnum, thorace latius, subtriangulare, supra flavescens, fronte carinula obtusa inter strias duas excavatas punctulatas elevata, subtus virescens, deplanato excavatum,

tum, longe pilosum; margo anticus attenuatus, acutus; oculi magni prominentes.

Thorax transversus postice productus, capite angustior, glaberrimus lævis, carinula longitudinali acute elevata, antice parum, postice magis abbreviata, niger vel rufo-griseus, immaculatus.

Hemelytra lævissima nitida nigro-fusca, lineolis vel maculis undulatis transversalibus, plus minus anastomosantibus, antice latioribus flavidis, sulcus lateralis albido cinerascens; membrana hemelytris concolore, coriacea, & ab iis vix discernenda.

Alæ albidæ, hyalinæ.

Abdomen supra nigrum vel virescenti flavum, subtus virescenti-flavum.

Pedes flavescens, tarsi antici angustiores quam in cæteris speciebus.

Acutissimo Fennorum Entomologo, Clarissimo Curculionum Svecicorum Monographistæ, Illustri Archiatro & Imperiali Collegii Medici Præsidi, Medicinæ Doctori & Professori D. GABR. BONDORFF, hanc speciem dedicat auctor.

7. *C. coleoptrata*: thorace rufo-griseo, hemelytris sublutescentibus maculis longitudinalibus infuscatis.

Leach in Transact. Soc. Linn. Vol. XII. P. I. p. 16. 1.

Sigara coleoptrata. Fabr. Syst. Rhynch. 105. 4. — Fall. Hydr. & Nauc. Sv. 7. 3.

Ad Wasam a D. WASASTJERNA semel capta.

Caput magnum, thorace paullo latius, subtrigonum, pallidum, supra parum convexum subtus excavato-planum, antice in marginem acutum attenuatum.

Tho:

Thorax capite dimidio brevior paulloque angustior, postice parum productus, lævissimus glaber, griseo rufus, tuberculo antico minuto.

Hemelytra versus apicem angustata, lævissima glabra, sublutescentia, longitudinaliter infuscata; sulcus lateralis flavescens, lineola elevata obliqua nulla; nervus hemelytri obliquus posticus in medio evanescens; membrana coriacea, ab elytris vix discernenda.

Alæ albo-hyalinæ.

Abdomen flavescens, interdum supra fuscum apice tantum pallido.

Pedes flavescentes; tarsi antichi ut in præcedente.

Obs. Binas has ultimas species, ad proprium Genus, ob diversam capitis structuram, esse referendas putamus, quamvis, ob defectum sufficientis speciminum copiæ, partes oris accuratius examinare atque notas genericas extricare hucusque non potuimus.